

rant, unde veritatis lucem haurire possent; clausis oculis, velato capite, Andabatarum more, certum est. Res compertissimas in dubium ab ei verti, videas, planas, atque apertas detorqueri, fingi monstra, negari solem, omnia demum ita sinistra, ac perperam accipi, ut vix alterum alteri consentientem inveniatis. Babelicam confusionem intueri putes. Si trullam petas, cementum offerunt; proximi vocem nemo audit; quod negat unus, affirmat alter; atque, quod festivum magis, pari utriusque confidentia.

Gibieusum præsertim infectatus est Theophilus Raynaudus in nova libertatis Explicatione; ejusque De libertate Dei, & creatura eruditissimum Opus, velut hæreseos Jansenianæ prodromum fugillavit in syntagmate de libris propriis, numero 21., ubi perbellam hanc calumnie suæ rationem prodit: quod ab Abbate S. Sygirani rogatus Jansenius, ut suum, vulgando Gibieusum libro, calculum adderet, hoc ei per litteras responsum dederit: *Son fait ne me semble, qu'une fantaisie d'esprit: & je ne me trompe point, si on lui donne sur les doigts. Il ne me semble pas voir les racines de tout l'affaire: ce qui sera, qu'il lui sera mal aisé de se tenir dans les bornes de la vérité: & je ne doute point, qu'il ne fasse des escapades, s'il ne fait rien de pis.* Ita certe legere est Epistola 126., inserta collectioni Epistolarum Jansenii, & Abbatis S. Sygirani, ad Jansenium natales detegendos, editarum; quod ita latine dixeris Gibieusum Opus merum exerrantis ingenii figmentum est. Nec mirum, si is contraria scriptio aliquando exagitetur; neque enim argumenti radicem attingisse mihi visus est. Quamobrem non nisi egre intra veritatis limites continere se poterit. Nec dubito, quin sepe exeret, liberum quidpiam effutens; nisi forte quid pejus, ac deterius admittat. At hæc cachinnis omnibus dignus Raynaudus, qui Gibieusum Jansenii præcursores ea ex Epistola colligit, unde oppositum maxime colligas! Ecce enim albos Gibieusum libro calculos hic negat Jansenius, eumque velut exerrantis ingenii foetum irridet, si is, ut Raynaudus quidem obtendit, Jansenianæ Hæreseos summam complectebatur, ipsiusque Jansenii libri prodromus erat? Itane secum ipse, suoque cum Præcursores Jansenius depugnasset?

Fælicissime cesserit Petri Possini hoc de argumento spissum opus, pronuntiare haud possumus, quando in secretioribus Societatis Tabulariis deliret. Dicam, quid de illo a Viris fide dignis acceperim. Romam a Societatis Præposito vocatus Petrus Possinus, sub Alexandri VII. Pontificatu, scripsit Auxiliorum Historiam, in sex libros distributam, sub titulo Controversiarum Societatis Jesu de Divina Gratia. Opes suas omnes ex domus Professæ Tabulario petiit; de Secretariorum, aliorumve Consultorum Actis, quorum tamen est summa fides, minus sollicitus. Typorum veniam negavit Alexander VII. Quapropter, ne tanti operis fructus excideret, curatis transumptis manuscriptis, in celebriores ejusque Regni Societatis domos transmissum est, ut hæc unam de Auxiliis Historiam sequerentur omnes, eoque pacto labii unius esset Societas universa. Post annum alterum spissi operis compendium elaboravit Petrus Possinus, quo facilius inter amicos circumferri posset. Cumque Tholosam reverfus vellet Typis edere; doctissimi D. Marfoulei famam meratus est, rogans, ut compendium hoc nomine suo vulgari sineret. Renuit Vir prudens, donec foetum probaret, quem esset adoptaturus. Sed ut illum ex lectione novit, in Parentem vehementius est indignatus, qui tales ei foetus supponi vellet.

Meliorem vulgandi operis occasionem adepti videbantur sub Innocentio XI. quo tempore Lemosii Panoplia de Gratia Leodii prodit. De violatis ab Ordine Prædicatorum decretis Pontificiis expostularunt, quibus jam diu cautum erat, ne citra Romanæ Curie licentiam tractationes de Divina Gratia vulgarentur. Addebant, eo minus vulgari potuisse Lemosii Opera, quod is non stetit intra scholasticæ disputationis modum, sed multa historice attigisset, quæ in arcano Congregationum sacrario tractata fuerant. Idcirco vel prohiberi Lemosii Opera, vel æquo jure secum agi supplicabant, sibi que propterea dari veniam precabantur vulgandi, quam pridem ediderant, Auxiliorum Historiam. Lemosii causam egit Generalis Prædicatorum, dato libello supplici: Curatæ editionis rationes dedit Innocentio XI. tum ad ultimam expostulationis partem reposuit, sibi, totique Prædicatorum Ordini gratissimum fore, si Congregationum Historia publici juris fieret, modo ne privatorum Scriptorum fabulationes venerando Historiæ nomine vulgarentur, sed ipsa primigenia Secretariorum Acta, quæ in Arce S. Angeli, in Bibliotheca Angelica, & in Archivo Barberino servata sunt: Quo casu suam, totiusque Ordinis fidem ad expensas integras obligabat. Æqua certe conditio, sed iis paulo durior, qui fabulas nullent, quam historias. Interea tamen Lemosii liber fortunæ suæ permissus est, ac publice Romæ venit; missaque Possini Historia, candidiores foies expectatura.

(1) De his plenius §. 12.

PARAGRAPHUS QUARTUS.

De Triumphis Molinæ nuper in Gallia excitatis, Illustrissimi Rhemensium Archiepiscopi Decreto disturbatis, ac dejectis.

Intempestivam sane, ac suis nimium Actoribus indecoram scenam aperuit Rhemis in Gallia Gabriel Thiroux, e Societate Theologus, in Theibus die 5. Decembris anno 1696. publice defenfatis. Decantatas jam pridem a suis reportata Molinianæ victoriæ, probatæque ab Apostolica Sede doctrinæ fabulas novum in theatrum induxit; seu quod res ab hominum memoria fati distitas crederet, ut pro Vatis sustinenda persona hariolari tuto posset; seu quod gravissimæ Controversiæ exitum nemini fortasse notum, confidentiter existimaret, ut suas pro arbitrio nani vendicaret. Sic ille suum carmen agebat in theatro: *Doctrina Ludovici Molinæ, aliorumque Theologorum, qui doctrinam libertatis humanæ cum Gratia Divina, ope Scientiæ-Mediæ tradere enucleatus tentarunt, ita ab errore Calvinii, aliorumque hujus ætatis sectariorum recedit, ut ad opinionem Pelagianorum nullo modo accedat. Et ideo tam valde impetita, toties a diverſi generis hostibus impugnata, & coram Summis Pontificibus tam diligenter agitata, tanquam aurum in fornace probata, purior inventa est, ut ait Maurolicus, & cum honore ex tot Disputationum fluctibus emerſit.* Hunc eadem in scena intra paucos dies excepit ex eadem gente Professor, qui Molinæ doctrinam cum Augustiniana superbe componeret, die 17. Mensis ejusdem.

Verum inventus est illico, qui Moliniani Triumpho jactatores ea, qua pollet, auctoritate, atque doctrina retunderet, Illustrissimus Rhemensium Archiepiscopus, Carolus Mauritius Le Tellier, Augustinianæ doctrinæ defensor nulli secundus, Ecclesiasticæ disciplinæ imprimis studiosus, qui nec nostris laudibus crescit, nec æmuloꝝ vituperatione minuitur; quod alias de Augustino dictum accepimus. (1) Inauditam audaciam, qua Viri, Moliniani chimæris mentem passî, Majorum suorum exempla secuti, vanis triumphis accinebant, solemnî Decreto fregit Eruditissimus Archiepiscopus, ad Rhemensem Academiam directo die 15. Julii 1697. in quo hæc inter alia, instituto nostro accommodata, notanda veniunt.

(2) Equidem Clemente VIII. ad superos vocato, Paulus V. (cujus consilia introspicere religio nobis est) mediatum judicium in suspensio passus, & in commodiorem tempestatem consulto distulit. At nemo inde citra temeritatis notam propterea colliget, probatum idcirco fuisse librum illum, de quo tamdiu fuerat deliberatum. Post tam diligenter mota litis tractationem, silentium Romanorum Pontificum approbationis loco jactare velle, hominum est nimis audacium, qui Sedem Apostolicam Protestantium calumnie committunt, quam de contempta jam tandem Augustiniana doctrina, novisque Molinæ inventis in animum inductis acculant.

Quare quantamlibet hujus Theſis Auctor in despicienda, sibi que Maurolici sui auctoritate fidem ponat, ferre nullatenus possumus, eam immoderatis adeo laudibus doctrinam efferrî, que ex ipsa sui origine sinistra ut minimum suspicionis labem incurrit: quod & ex ante-dictis, & ex probatissimorum hujus ætatis Scriptorum suffragio perspicuum est; maxime vero ex Cardinalis Baronii epistola, cujus acre judicium magni apud omnes ponderis est. Tantum igitur abest, ut Molinæ doctrinam, velut Ecclesiæ approbatione dignam, excipere liceat; quin potius illum ipsum, veluti virum propriis signentis, cæterorum novatorum more delectatum, habere necesse est, ejusque doctrinam insaustra novitatis, & audacie labes ab ipso sui Auctore notatam exhibibilem.

Tum demum post alia multa in eam rem, aliaque laxiora Molinæ dogmata, exculta eruditione enarrata, in superiori inficetorum triumphatorum propositionem, quæ tertie columnæ prima erat, ita pronuntiat: [3] *His de causis, aliisque gravissimis bene multis, invocato Dei Nomine, rematurus expensæ*

b ij sa,

(1) Pius II. epist. 113. (2) Il est vrai qu'après la mort de Clément VIII. Paul V. dont nous ne voulons point, par respect, pénétrer les motifs, trouva à propos de surseoir le jugement qu'il avoit projeté de rendre. Il ne s'en suit pas pour cela, qu'on puisse avancer sans témérité, qu'il ait approuvé le livre, qui avoit été la matière de tant de délibérations. Après tout ce qui s'est passé, c'est abuser du silence des Souverains Pontifes, que de vouloir le donner pour une approbation absolue de cet Auteur. C'est exposer le S. Siège aux calomnies des Protestans, qui l'accusent mal à propos d'avoir abandonné l'ancienne doctrine de S. Augustin sur la grâce, pour embrasser les nouvelles découvertes de Molinæ. Ainsi quelque fond que puisse faire l'Auteur de la Thèse sur un témoignage aussi méprisable, que l'est celui de Maurolice, nous ne devons pas souffrir, qu'on donne de si grands éloges à une doctrine, qui dès son origine a été regardée tout au moins comme suspecte. Ce qui paroit par tout ce que nous venons de vous dire, par le sentiment est d'un si grand poids de Loin donc de pouvoir considérer la doctrine de Molinæ comme digne de l'approbation de l'Eglise, on le doit regarder lui même, comme un homme qui s'est plus dans ses inventions, que dans les autres novateurs; & sa doctrine, comme une doctrine, qui en naissant a reçu de son Auteur un aussi mauvais caractère, qu'est celui de la nouveauté & de la présomption

(3) Pour toutes ces raisons, & pour d'autres très importantes; après avoir invoqué le saint Nom de Dieu, & avoir long temps examiné la matière avec plusieurs Docteurs très éclairés, sages & même constitués comme nous en dignité Ecclésiastique, nous avons condamné, & condamnons la première proposition de la troisième Colonne de la Thèse du 5. Décembre dernier, que nous avons cy dessus rapportée, comme fautive, téméraire, scandaleuse, captieuse & induisant en erreur.

sa, auditis Sacre Theologie Doctoribus eruditissimis, sapientissimis, & in Episcopali dignitate constitutis, damnarimus, atque damnamus primam Propositionem tertie columnae Theses habite die 5. Decembris ultimo elapsi, quam & hic supra retulimus, uti falsam, remerariam, scandalosam, captiosam, & inducentem in errorem.

Quid ad hæc Moliniani? Larvatum Apologistam tacite submiserunt, qui supplicem Monitionem ederet, illustrissimo Archipræfati inscriptam, specie quidem interdum humilem, sed Episcopali dignitati, meritissimoque Præfati multum injuriam (quam nos hic toto passim opere reuellemus) ut Censuram ejus, rotamque lucubrationem eruditissimam confutaret. Erat Libelli famosi titulus: (1) *Monitio supplex, Illustrissimo Rhemensi Archiepiscopo facta, super Decreto edito die 15. Julii 1697. occasione duarum Thesium Theologicarum, in Collegio Societatis Jesu ejusdem Urbis habitarum diebus 5. & 17. Decembris 1696.*

De attentato in Episcopalem dignitatem audaci facinore coram Augustissimo Galliarum Senatu expostulavit Illustrissimus Archipræfatus, dato Libello supplici, quo Societatis Præpositos Lutetia degentes in jus vocabat, ut libellum famosum secundum Juris formas agnoscere, aut negare cogerentur. Erat hæc Viri meritisissimi Supplicatio, e Gallico idiomate latine reddita,

„ Supplicat submitte Carolus Mauritius Le Tellier, Archiepiscopus, Dux Rhemensis, primus Francia Par, exponens, quod cum in suam notitiam venissent periculosa duæ Theses, publice in Collegio Jesuitarum Rhemensium propugnata diebus 5. & 17. Decembris anni 1696, has ille cum nonnullis Episcopis Confacerdotibus, multisque Doctoribus examinavit; cumque Pastoralis officii partes esse judicasset, ut in illarum Auctores animadverteret, Decretum die 15. Julii proxime elapsi edidit, instar Pastoralis Institutionis, ad Facultatem Theologicam Universitatis Rhemensis directæ, qua Theses illas Censura confixit; ea tamen moderatione, ac lenitate servata, ut nulli offendi ex lato iudicio possent, nisi intractabilis indolis homines, qui ne minimam quidem animadversionem sustinere velint.

„ Post expostitam eo in Decreto Ecclesiæ Catholicæ de Divina Gratia, & Prædestinatione doctrinam, Jesuitis in sua jam Diocesi constitutis, aut ad eam deinceps accessuris Orator inhibuit, ne quid docerent, scriberent, prædicarent, aliquodve dogma disseminarent, iis contrarium Articulis, quos inconcussa Augustinianæ doctrinæ ab Apostolica Sede probatæ, & veluti Catholicæ fidei, contra Pelagianos vindicatæ, fundamenta esse, demonstravit. Eo tamen Interdicto posthabito, libellus famosus typis editus Versallii, Parisiis, & in Diocesi Rhemensi disseminatus est titulo Monitionis, præfato Domino Archiepiscopo inscriptæ, nullo Auctoris, ac Typographi nomine appposito, nulla obtenta typorum venia, nulla Doctorum, aut Superiorum approbatione præmissa, tamen Religio-nis causa vertatur. Hujusce vero libelli disseminatores eundem dicto Domino Archiepiscopo, sigillatim ob signatum, transmissere, nulla adjuncta epistola, qua cujus nomine transmitteretur, dignosci possent: eoque pari modo, cum universis Lutetia secularibus, ac Religiosis communitatibus, virisque primariæ totius Regni Nobilitatis, aliisque privatis bene multis se gessere.

„ Licentiam sibi sumit disseminatæ hujus Monitionis Auctor doctrinam eo Decreto asseritam confutandi: quo certe facinore eam sibi arrogavit auctoritatem, quæ (prima saltem actione) uni Provincia Rhemensis Concilio propria est. Quare ea Auctoris hujus agendi ratio in Ecclesiasticam, & Civilem disciplinam ex æquo peccat, ac si impune toleretur, scriptio-nes edendi, ac disseminandi licentiam dubio procul inducet, ad eos vindicandos errores, quos Archiepiscopi, & Episcopi in suis quique Diocesis condemnarent, & ad ea in dies concutienda, quæ Decretis suis sancire tenentur, ut Deposita, sibi a Christo concredita, religiose custodiant, disciplinam sanciant, legumque Ecclesiasticarum executioni invigilent. Quæ omnia præfatum D. Archiepiscopum movent (qui, quod honori ducit, sedem cæteras inter nobilissimam occupat, primumque antiquitatis jure Cleri Gallicani locum obtinet) ut suas coram suprema Curia expostulationes deserat.

„ Satis impræsentiarum adduci nequit idem Orator (publica licet facti notitia repugnante) ut Jesuitas Parisienses accuset editi, ac disseminati Libelli famosi ad sodalium suorum Rhemensium Theses vindicandas. Eos in hanc usque diem sapientiores existimavit, quam ut id facinoris attentarint, quod nedum in debitam Episcopali dignitati venerationem adeo peccat, verum etiam in ipsorum Jesuitarum institutionis, ac restitutionis Edicta, in hocce augustissimo Senatu comprobata, atque in illud præsertim, quod ab Henrico IV. anno 1606. pro instituendo Rhemis Societatis Collegio obtinuerunt. Quibus quidem tribus Edictis distincte illis vetitum est, ne quid in spiritualibus, ac temporalibus Episcoporum damno molirentur. Stupendum sane foret, si palam, aperteque potissimum eorum Edictorum conditionem violasset, & scandalosa remeritate scriptio-nem vulgan-

(1) *Remontrance à M. l'Archevêque de Reims, sur son Ordonnance du 15. Juillet 1697. à l'occasion de deux Theses de Théologie, soutenues dans le Collège des Jésuites de la même ville, les 5. & 17. de Decembre 1696.*

„ dam attentasset, ad eripiendam Episcopis Auctoritatem, ac fidem, qua eos apud fideles valere necesse est; cum contra, ut officium illorum erat, obedientiam docere debuissent, quam Potestatis bus præstantam Deus admonet, ac præsertim Episcopis, quos Spiritus Sanctus posuit regere Ecclesiam Dei.

„ Nullo casu Jesuitis Parisiensibus, quos ex Francia Provincia esse constat, licitum erat, dicto D. Archiepiscopo Admonitionem inscribere ob Decretum ab ipso recens editum, quo illi nullatenus petebantur; nisi palam significare voluerint, nihil in illorum aliquo mali reprehendi posse, nisi omnes in ejus defensionem insurgant. Si Diocesis Rhemensis Jesuitæ, quos ad Campaniæ Provinciam attinere certum est, Decretum hoc minus æquum, atque canonicum reputasset, præfatum Archiepiscopum adire, ac libellum supplicem, Superiorum nominibus ob signatum, offerre poterant: quo casu eum ille expendisset, & quod juris esse judicasset, facile responderet, dato etiam, si opus id visum esset, ea de re necessario documento: aut certe adversus Decretum hoc juxta præscriptas juris formulas consulere sibi poterant. At nulla eis suppetere ratio potuit, (ac ne beneficiorum quidem eximiorum consideratio, quibus Rempublicam ubivis a Societate juvari, affirmare absque assentatione se posse, ait Auctor ille) quæ disseminandi Libelli famosi jus arrogaret, qui & Episcopali Auctoritati adeo injuriosus est, ac dura idcirco animadversione dignus.

„ Verum cum hujusce libelli Auctor sub ipso statim initio significet, se, tacito licet nomine, Jesuitam esse, rursusque sub finem aperte pronuntiet, nihil vereri se, ne ab ipsa Societate in libelli descriptione negetur, cum & totius Ordinis, & Præpositorum, quibus regitur, sensum ea de re probe norit; ad facti veritatem internoscendam necessum est, ut dictus D. Archiepiscopus sibi coram suprema Curia provideat, quatenus Societatis Præpositi, qui Lutetia, ubi libellus disseminatus est, comorantur, ex juris præscripto declarare cogantur, an eum abneget, vel agnoscant.

„ His attentis, Illustrissimi Domini, placeat Benevolentia vestra, consignatam auctoritatem Oratori concedere, quo pacto apud publicum Senatus Scribam Libellum famosum typis editum deposuerit, quem ad ipsius Versallianæ ædes sigillo ob signatum detulere, cui titulus est: *Remontrance à M. l'Archevêque de Reims, sur son Ordonnance du 15. Juillet 1697. à l'occasion de deux Theses de Théologie, soutenues dans le Collège des Jésuites de la même ville les 5. & 19. de Decembre 1696.* Eundem a publico Curia Scriba peculiari nota ob signari jubeant, ne varietur; ac demum Decretum sanciant, ut Frater Jacobus le Picart Provincialis Societatis Provinciae Francia, Superior Professor, sæ domus, Rector ipsorum Novitiatu Parisiensis, nec non Rector Collegii Ludovici Magni, ad negandum, vel agnoscendum libellum adigantur, fatendumque, num forte noverint, aliquem e Societate famosum hunc libellum edidisse, atque disseminasse; ut eorum accepta denuntiatione, & Procuratori generali, dictoque D. Archiepiscopo communicata, ab eodem ipso Procuratore generali, præfatoque D. Archiepiscopo, quid juris fuerit, statuatur.

„ Illustrissimi Archipræfati preces ratas habuit Senatus Augustus. Diem Societatis Præpositis dixit 10. Januarii anni 1698. ad vadimonium per se obeundum. Sequenti Decreto, in publicas tabulas relato, sancita res est.

Ex Senatus Edicto consignata auctoritas Oratori concessa est, quo pacto libelli famosi exemplar typis editum deposuerit: Statutum, ut in forensi Tabulario servetur, peculiari primum nota a primo Curia Scriba ob signatum, ne varietur; Sancitumque, ut libellus idem, una cum Oratoris Supplicatione Jesuitarum Provinciae Franciæ Provinciali, Professe domus Superiori, nec non Rectoribus Novitiatu, eorumque Collegii Parisiensis communicetur, quatenus stata die in Senatu compareant coram Regiis Cognitoribus, quid illis visum fuerit declarari: ut eorum accepta denuntiatione, ac Regio Procuratori, nec non præfato D. Archiepiscopo Rhemensi communicata, quid illis visum fuerit, statuatur, & a Senatu, quid jus postulaverit, decernatur in suprema Senatus Curia, die 10. Januarii 1698.

Res in malum omen abibant, & in fulmen corrugabant addentæ nubes. Senatui quippe Augustissimo speciosis circulationibus verba dare, difficile erat. Archipræfatum vero frangi, ubi jus postulat, ac mollescere nescium delinire, difficilissimum. Quid in tam præcipiti rerum eventu emucissimam naris homines? Ne quid pejus suo capiti fuerint, Christianissimi Regis gratiam implorarunt, ne summo secum jure agi permetteret. Quare ex nutu Regio, Augustissimi Senatus Principe sequestro, læsæ dignitatis Episcopalis veniam, dato scripto, petiere supplices Societatis Præpositi quatuor, Lutetia Parisiorum constituti, quos in jus vocaverat Archipræfatus; Francia scilicet Præpositus Provincialis, aliique Rectores, qui Parisienses Societatis domos moderantur. Sua satis forte falces! quod, latere te-

sto, ex tam ambiguo, difficilique negotio emerferint; quibus gravissimum periculum imminerebat, ne ultra domesticæ doctrinæ vulnus, ex meritisissimi Archiepiscopi Censura susceptum, & excitati Moliniani triumphum demolitionem, nova catastrophe totam fabulæ suæ actionem abolverent. Hoc publico Scripto satisfacere die 23. Januarii 1698. Parisiis, in Illustrissimi Rhemensium Archiepiscopi Palatio; præsentibus Episcopis Sueffionensis, & Laudunensi, ejusdem Suffraganeis.

Nos infra scripti, Jacobus de Picart Societatis Provinciae Franciæ Provincialis, Ludovicus de Valois Superior Professa domus, Petrus Pomereau Rector Collegii Ludovici Magni, & Isaacus Martineau Rector Novitatus Parisiensis, hoc præsentis Scripto denunciavimus Illustrissimo D. Archiepiscopo Rbemensi, quatenus, cum officii nostri conferemus, palam querendi rationes significare, quibus occasione Decreti adversus Theses, in Collegio nostro Rbemensis propugnatas, editi die 15. Julii 1697. jure nos moveri putabamus; supplicem Monitionem, nullo inscripto Auctoris nomine, nullaque obventa licentia, vulgari permixtus; cujus nonnulla loca ansam Illustrissimo Domino existimandi præbuere, nos debito Episcopali dignitati, ejusque Clarissima Dominatoni obsequio, ac venerationi deesse voluisse. Quæ de re ut primum certiores facti sumus tum ex ejus Supplicatione Senatui facta, tum ex quorundam monitionibus de omnibus a nobis juris formulis, quarum summa in hoc Regno (si quando in Episcoporum Decreta postulare necesse sit) religio esse debet; continuo denunciandum judicavimus, ac re ipsa impresentiarum sue Celsitudini denuntiamus, nos in præfata Monitione scribenda, atque vulganda procul ab animo habuisse, ut debitam Dignitati sue, & Episcoporum Auctoritati venerationem laderemus, Illustrissimoque præsertim Archiepiscopo Rbemensi, spectatissimum, nobilissimumque in Ecclesia locum occupanti, debitam observantiam violarem; nos deinceps secundum præscriptas juris formulas religiosissime acturos, si quid hujusmodi nobis accideret; nobisque dolere ex animo anteaquam, unde Illustrissimus Archiepiscopus opinionem induere potuit, ab ea nos veneratione, & observantia excidisse, quam intimo corde gerimus. Celsitudinem suam rogamus humillime, ut id oblivione deleat, nostramque Societatem, ejusque potissimum domos, in Diocesi Rbemensis constitutas, gratia sua, ac patrocinio tegere velit: quod humillimis semper obsequiis promoveri satagemus.

L E P I C A R T. D E V A L O I S. P O M E R E A U. M A R T I N E A U.

Hanc supplicis excusationis formulam ante diem alterum præscriperat Augustissimi Senatus Princeps; hujusque exemplar, datis ad Illustrissimum Archiepiscopum, & ad Societatis Præpositum Provinciale binis Epistolis, transmiserat, ut rem totam concordi consilio brevi conficerent.

Ad Societatis Præpositum Provinciale scripserat in hæc verba, die 21. Januarii. Admodum Reverende Patre. Transmisso exemplar Formule a me secundum mandata Regia prescripte, meoque Chirographo communitæ. Ut illud exscribi cures, propriaque manu obsignes, necnon etiam R. Patris Valesii, ac Rectorum Collegii, & Novitatus signaturâ muniri studeas, rogo; tum ut illud quantocius D. Rbemensis Archiepiscopo domi offeras, illumque iis verbis adeas, quæ tibi congruentiora, & efficaciora prudentia suggeret, quæ enata res sedari omnino possit, ipsaque etiam semina, unde aliæ non absimiles enascerentur, penitus extingui. Rogo insuper, ut quantum in auctoritate tua positum erit, provideas, ne ullus e Societate ea de re quidquam deinceps scribat, neve supplicis Monitionis, quæ typis edita, vulgataque est, exemplum disseminet: immo potius omnes de ea sobrie dicant, ubi dicendi necessitas acciderit. Nullus dubito, quin D. Rbemensis Archiepiscopus, pro parte sua, omni humanitate, atque prudentia oblata excusationi respondeat, quanta a meritisissimo Præsule expectari potest. Quia vero necesse existimavi, ut quidam primæ notæ viri curam adsint, quo tempore D. Archiepiscopum Rbemensem convenietis; in DD. Episcopos Sueffionensem, & Laudunensem, ejusdem Comprovinciales, oculos conjeci, tanquam qui maxime congruant. Idcirco Versailles mitto, qui D. Episcopum Sueffionensem meo nomine roget, ut redeat. quantocius, unaque cum D. Archiepiscopo de die, & hora conveniat. Quæ de re certum te facient; quo simul cum cæteris designatis Societatis Præpositis præfatum Archiepiscopum adeas, ultimam enato negotio manum imposturus: quod ut ne cœpisset quidem, optandum esset; ac ne quid inde sinistrum eveniat, nusquam satis præcaveri a vobis poterit.

Hanc autem Illustrissimo Archiepiscopo Epistolam dederat hac ipsa die, transmissa etiam superioris exemplo.

In eundem fasciculum addo exemplar Formule a me prescripte, meoque Chirographo communitæ, quam ad Societatis Provinciale transmisi; necnon etiam transumptum datæ ad illum Epistolæ, quæ eum, ut propria manu subscribas, rogavi, & a cæteris Parisiensium domorum Præpositis subscribi provideat; eamque, quæ tibi die, & hora placuerit, demum exhibeat. Rogo pergratum habeat DD. Episcopos Sueffionensem, & Lau-

& Laudunensem præsentem adesse, quo tempore Patres illos domi excipere dignaberis; quod quidem nusquam sat cito fiet, ut ultima emergenti negotio manus imponatur. Versailles mitto, qui D. Episcopum Sueffionensem meo nomine roget, ut huc, quamprimum fieri poterit, redeat. Interim me summa cum reverentia profiteor humillimum, & obsequiosissimum servum. DE HARLAY.

Steterunt nihilominus animis ludicri Triumphatores, & adversus iniquos fortunæ casus pristinos ignes accenderunt. Disturbato, ac demolito Rhemis Moliniano triumpho, novum, iratis licet Diis, Rothomagi excitarunt. Theses publicas anno 1698. die 10. Januarii habere, quibus prostratum Rhemis Molinismum erigerent, novoque in curru collocarent, Leonardo Lessio, Molinæ triumphatori, in cumulum festivitatis & gloriæ sociato. Ita quippe columna 6., quæ de Gratia erat, scribebant. Tot in errores, non casu, sed errore malo, & consilio Lessii, tanquam Semipelagianum traducendi, delapsus Jansenium, ipse testis est in Epistolis ab Abbate S. Sygriani scriptis, quarum autographa in Parisiensi nostro Collegio servantur. Manet interim, æternumque manebit prime Sedis Judicium; & quo Lessii doctrina sana, & quo Jansenii commenta falsa, heretica, insipida, blasphema universa Ecclesia applaudente, pronuntiata sunt. Columna vero octava: Longe dispar Societatis Jesu, sive cum eruditissimo, & Religiosissimo Predicatorum Ordine, sive cum Doctoribus Lovaniensibus, ac Duacensis quibusdam concertatio. Prioris occasu fuit Liber Molinæ, suprema Inquisitionis Lusitanæ, Academicarum undecim judicio comprobatus, Rome coram Pontifice, & Cardinalibus Bellarmino, Peronio &c. per annos quatuor examinatus, ac demum nulla censura notatus. Controversia sic composita, ut liberum relinqueretur utrique parti sententiam suam absque alterius censura defendere. Censura Salmanticensis tam ficticia est, quam Bulla Pauli V., & Acta Congregationis de Auxiliis, quæ fide indigna declaravit Innocentius X. Quare cum Rome etiam Molinæ doctrina, quæ tot habuit sectatores dignitate, & eruditione inclyta, doceatur; quicunque Molinam Semipelagianis annumerat, Romanam Ecclesiam approbati Semipelagianismi res agere. Censura in Lessium Lovaniensis, ac Duacena statim Apostolica auctoritate reprobata, ac suppressa; de quibus, quoties Romanam Sedem consulere Censurarum Patroni, toties gravis responsum acceperit, eas Romanæ Ecclesiæ displicuisse, & displicere. Easdem a Sorbona, cum publicatæ fuerunt, improbatas fuisse certum est; ac nullius roboris æstimatas; inde constat, quod deinceps & Societatis Theologi, & alii Professores contrariam Censuris doctrinam Lovanii, ac Duaci impune docuerint.

Quidni quoque Clementem VIII., & Paulum V. in vivis etiam existisse, aut ullas unquam de Divinis Auxiliis Congregationes habitas esse negent, pari confidentia? Sic enim compendio confecta res erit, totaque Congregationum Historia, quæ illis adeo stomachum movet, hoc uno verbo dissipatur. Egregii Historici; quos hic pro meritis excipiemus!

Hæc interim Rothomagenses Aëlores. Nec dubito, quin intra breve tempus, quotquot per universas Galliæ Provincias Societatis Cathedras Theologicas moderantur, eadem illa, ac forte pejora, velut ex condito publicis in Thesibus fabulentur, ne Illustrissimi Rhemensium Archiepiscopi Censura terri, animo excidisse, aut præconcepitos de Molinianæ doctrinæ triumphis sensus exuisse videantur. Nec forte sim ita Propheta malus, si quod olim in celebri Casuistarum Apologiæ damnatione accidisse, notum est, ut ad erigendos Sociorum animos, & linguas ad ejusdem cantilenæ modulamen componendas, Encyclicæ Prætorum Provincialium litteræ mitterentur, hoc idem in hocce rerum concursu evenisse, ominaret; ut eo excepto monito, starent animis, & experrecti, fractaque copias, concordi consilio, novis conatibus instaurarent.

Et certe, uno veluti, eodem consilio, quotquot e Societate ubivis in Europa versabantur, ex hac ipsa Parisiensium Sociorum excusatione, qua admittæ culpæ veniam ab Illustrissimo Archiepiscopo rogare coacti fuerant, reportata sibi victoriam accinuerunt; quæ amica illos inter compositione inita, a lata in audaces assertiones Censura recessisset meritisissimus Præsul. Sic sane natæ eructæ viri quacunquæ ex re gratulari sibi solent, atque ex adversis fortunæ casibus fortunam ipsam amplificant. Periti profecto Medici, qui sua etiam vulnera in pharmacum vertant, ac ipsis etiam iratis Diis non sine festivitate fruantur! Itane pristinos sensus exuerit Illustrissimus Archiepiscopus? Dicant, qui infacti animi virum norunt. Stare illum in cœptis, nec a decretis resilire, fidenter pronuntio: nec vereor, ne mihi hac parte mendacium exprobet. Decretum ejus a nobis latine redditum, cujus occasione Historia nostra edita est, damus in Appendice. (1)

Sed quid tandem? Molinæ triumphum, quamquam Archiepiscopi auctoritate disjectum, Nestorianismi obliqua instauracione cumularunt, ut nostrorum temporum scenæ veteribus responderent, illudque S. Prospero Carmen in hac quoque Rhemensis fabula cani possit.

Ne-

*Nestoriana lues successit Pelagiana,
Que tamen est utroque prognerata meo.
Infelix misere Genitrix, & Filia Nati,
Prodivi ex ipso germine, quod peperit.*

Catholicæ quippe fidei caput, quod univèrsa contra Nestorium profitetur Ecclesiâ, ad meram probabilitatem traduxerunt, publicis in hac ipsa Dicecesi Theſibus habitis: *Humanitatem*, inquebant, a *Verbo hypostaticè sustentari probabilissimum est*. Palinodiam, jubente Archipræsule, fecutis intra paucos dies Theſibus decantarunt. Fidei caput extra omnem probabilitatis aleam posuere; de, folis inter Scholasticos controversis opinionibus censendi licentiam professi publice: *Humanam naturam in Christo hypostaticè sustentari a Persona Verbi*, publica in scriptis retractatione facti sunt; tametsi (ut addebant) influxu minime physico. Qua de re mihi ad institutum fati, ne peregrina sectari videar.

Exaëto biennio, Augustissimi Senatus Principis jussu nil veriti Italiæ Socii, supplicem Parisiensium Monitionem (cujus ne nova exempla spargerentur, cautum erat) Italicè reddiderunt una cum Leodiensi Epistola, de qua nobis sexto Paragrapho fermo erit, ac quaquaversum studiosè disseminarunt; ut turbatos suorum animos erigerent, illosque in Molinismi fide continerent. Fuere, qui vehementius mirarentur, veteres nenas novam in scenam induci, putidæque fabellas, a nobis jam tunc in priori Historiæ Editione confutatas, novis tibi decantari; iis plane dissimulatis, quæ scripseramus in oppositum; quasi obliterari illa possent, & ab eruditorum mentibus deleri tam brevi spatio. Nos contra nihil ista mirari fumus, quibus dudum perspectum est, si quid ab Sociorum aliquo alicubi gentium in communis causæ præsidium scriptum est, id a cæteris ubique terrarum velut ex conditio indefinenter obrudi, atque ad ravim usque decantari, tametsi fuerit id sexcentis scriptioibus confutatum. Id scilicet in Societate videre est, quod olim in Dodonæo Jovis templo. *Erat illud*, ut scribit Suidas, (1) *leboribus æreis undique cinctum; ita ut invicem se se contingerent: unde necessum erat fieri, ut uno quopiam pulsato, vicissim & omnes resonarent, sonitu per contactum ab aliis ad alios succedente: durabatque in longum tempus tinaitus ille, videlicet per orbem redeunte sono*. Ita nunc Socii, si quis alicubi communis commodi studio neniã aliquam, etiam lugentibus cunctis, præcinerit, eandem ubivis gentium cæteri vocem reddunt; idem carmen, quasi succedente per vires sono, alii succinunt: ut plane (2)

*Tot pariter pelves, tot tintinnabula credas
pulsari*

Nec spes est, ut sibi temperent, oraque comprimant, tametsi futilem cantilenam congestis magna mole libris eventiles; sed contra potius obfirmatis animis, rerumque exitu dissimulato, eandem ævo integro fabulam ingerent, ut sin minus eruditis, at auritogregi, & servo pecori fucum faciant.

Obsoletos itaque libellos, Italico idiomate reclusos, quid miremur? recudent fortassis Hispanico Germanico, Anglico, ac, si fors ita tulerit, Arabico, atque Turcico. Sed quid nos interim? Id unum reponere juvat, quod alias Augustinus Juliano, eandem ingerenti nenas, reponebat: (3) *Jam responsum est; nil novi dicere potes: tace si potes; sed neque hoc potes*.

Cæterum quod præmissa reculis libellis Præfatione hariolantur, Leodiensem Epistolam, tanquam *abscissum de monte lapidem*, (4) Universam Auxiliorum Historiam, uri Nabuchodonosoris statuam, comminuisse, ingens profectio philantia, turpisque jactantia argumentum est. Epistolarem illam rapsodiam, ante annum quartum vulgatam, atque a nobis jam pridem cumulatissime dispunctam, *lapidem inutilem, opus manus antiquæ*, (5) cæteri plane omnes appellant, qui hanc Auxiliorum Historiam lætitarunt; nemoque affectu vacuus inventus est unus, qui rationum nostrarum momentis expensis, queis funditorem Leodiensem exagitavimus, non illico illud Jobi pronunciarit: (6) *In stipulam versi sum lapides funde*.

Alterum ejusdem Præfatiunculæ caput minus moror; insulfam videlicet, fatuamque Janfenismi accusationem, qua nos temere, ac pro arbitrio fugillant, quasi in Janfeniana officina, nostra Congregationum Historia cusa fuerit. Est hoc jamdudum rubigine relum exesum, quo prisicos Augustinianæ do-

(1) Apud Manut. in Adag. (2) Juven. (3) Lib. 6. Cont. Jul. (4) Dan. 2. (5) Sep. 13. 10 (6) Job. 41. 19.

doctrinæ vindices, ab æmulis appetitos, novimus, ut illis, si fieri quidem id posset, ora præcluderent. *Quotiescumque nos*, inquit Sanctus Prosper, *contra eos certamen suscipimus; dixerunt, nos ex hæreticorum argutis contra se agere. Videntes enim, se ita superari, ut respirare non possint, hanc calumniam semper Catholicis irrogant, ut dum timent, se hæreticos infamari, in silentio loquelam veritatis ardeant*. Raucam itaque, frivolumque accusationem, quæ dudum in vulgi fabulam venit, nauci facimus. Italum Editorem calumniæ postulam: ac sicut Augustinianæ, Thomisticæque doctrinæ assertores, ac vindices fumus; ita omnem ab Ecclesiâ reprobata hæresim execramur.

Duas Jesuitarum Rhenensium Theſes, 5., & 17. Decembris anni 1696. defensas, Mandato Illustrissimi Archiepiscopi, cui locum dedere, subjicimus, (1) cum ut excerptorum fides amplius constet, tum ut integrum Patrum illorum de Gratia Auxiliis systema conspiciatur. His tamen alias quadrienni antiquiores præmittimus, quia & operose ab illis concinnata mihi visa sunt, & nonnulla etiam continent ad Congregationem de Auxiliis pertinentia. Easdem ob causas Rothomagenses anni 1698. illas excipiunt, quibus & nonnullas in aliis Societatis Collegiis propugatas adjicimus, ut perfectior placitorum Molinisticæ Scholæ noticia habeatur.

PARAGRAPHUS QUINTUS.

De Litteraria Concertatione R. P. Natalis Alexandri Ord. Prædic. cum R. P. Daniele Jesuita de Divina Gratia.

Natalis Alexandri de Divina Gratia cum Daniele litteraria Concertatio a Moralibus ortum habuit. Mandatum Pastorale anno 1696. ediderat Illustrissimus Rothomagensium Archiepiscopus, Jacobus Nicolaus Colbert, quo Ecclesiasticas Colationes haberi jufferat, in quibus sacre discipline leges, & præcepta morum exponerentur. Ne vero multi Parochorum, temere implicati lectione recentium Auctorum, qui de Christianis morum Regulis scribere, in errorem addugerent, pravos forte, ac cæcos secuti duces, libros etiam indicaverat Præsul prudentissimus, quos ad decidendas quaestiones consilere opus esset. Hos inter legendus proponebatur Natalis Alexander, vir saculo nostro major, (quo Magistro gloriatur, ac triumpho,) in Theologia Dogmatica, & Morali, quam is, missa recentium Auctorum rudi, indigestaque mole, ex Divinarum Scripturarum, sacrorum Canonum, sanctorumque Patrum purissimis fontibus expressit ante annos aliquot, magna eruditorum omnium estimatione susceptam.

Nonnullis stomachum fecit delectus ille, qui Tamburinum forte, Baunium, Busenbaum, aliosque id genus conscientia calumpniæ arbitros designari maluissent. Furtivis typis confestim emissis in lucem est libellus gallice inscriptus: *Difficultés proposées à Monseigneur l'Archevêque de Rouen contre la Théologie Dogmatique du P. Alexandre Jacobin*. Hoc est, *Difficultates proposte Illustrissimo Rothomagensium Archiepiscopo circa Theologiam Dogmaticam R. P. Natalis Alexandri Dominici*. In hoc ægre se, & impatienter admodum talisse, significat Auctor anonymus, quod P. Alexander, quasi Dicecesis Theologus, in Collationibus Dicecesanis citaretur, ejusque Moralis Theologia laudaretur. Tum Propositiones duas supra viginti, ex Alexandri libris excerptas, temere, & inerudite impugnando, in damnatos, vel merito damnandos errores impingit; multaque ponit corruptæ Moralibus Paradoxa.

Paulisper cunctatus est Alexander, an contemnendo libello responderet. At cum veritatis, & Moralibus Evangelicæ causam deferere, ac prædere non posset, certoque nosset, insulfum libellum, in quo, damnati a S. Sede corruptæ Moralibus Articuli renovabantur, a Patribus Jesuitis cum in Neustria, tum Lutetia Parisiorum studiosè disseminari, responſionem adornavit sub hoc titulo: *Eclaircissement des prétendues difficultés, proposées seu Elucidationes præmissarum difficultatum &c.* Constat hæc Capitibus octodecim, quibus Auctoris anonymi errores de Probabilitate, de Simonia, de Beneficiorum Ecclesiasticorum ambitu, de Peccato Philosophico, de Usura, de Æquivocationum, & Restrictionum mentalium usu &c. confutantur; varisque Moralibus Christianæ Regula, ab Auctore anonymo impugnata, vindicantur. Eruditorum omnium laudem meruit, & consecuta est Alexandri Responſio; contemptum difficultates Anonymi.

Interim, Cum P. Buffier Jesuita libellum *Difficultatum* in vulgus Rothomagi spargeret, in flagranti delicto deprehensus, temerarium libellum ejurare, & Propositionibus decem subscribere jussus est, Serry Tom. I.

(1) Append. Num. XXIV.

quas libelli erroribus oppositas Archipræful Reverendissimus præscribat. Archipræful, & Vice-Provincialis sui mandatis parere renuit vir cerebrosus: quare in remotam Armoricæ urbem, Corisopitum, ablegatus est; eidemque, in Societatis domo incluso, omni Jesuitici muneris functione, & commercio cum extraneis hominibus interdictum. Perniciosum vero difficultatum propositarum libellum damnavit Illustrissimus Archipræful, Epistola, seu Institutione Pastoralis, data Rothomagi die 28. Martii 1697; quæ & eruditionis ipsius, & Episcopalis zeli monumentum est, Moralisque sanioris, & disciplinae munimentum.

Auctorem Difficultatum propositarum esse P. Danielem Jesuitam (qui Responsione ad Litteras Provinciales Montaltii, seu Cleandri, & Eudoxii Colloquiis nomen sibi facere conatus est haud felici successu) existimaverant universi, quibus notus est Patris Danielis stylus, & character; nec absque fundamento. Ejusque ideo errore de æquivocationum usu, quem Deo, & Christo tribuere non veretur, perstrinxerat in Elucidationibus Alexander. Quo factum est, ut Epistolam ad Alexandrum ediderit Propheta novus, æquivocationum revelator, & vindex die 1. Januarii 1697.

Inter hæc nobilis, & erudita femina litterulas quinque scripsit ad amicam, doctrina pariter, & nobilitate insignem (quales in Gallia inveniuntur non paucæ ad sexus gloriam) quibus referebat, quæ in familiarî colloquio dicta essent ab Abbate, & illustribus feminis contra anonymi Jesuitæ Difficultates. Ludendo refellebantur, seria velut responsione indigna. *Multa enim sunt sic indigna revinci, ne gravitate adveniant. Vanitati proprie selevitas cedit: congruis & veritati videtur, quia lætans; de amulis suis Judere, quia securo est.* (1) Litterularum altera Dominicanos commendabat, quod Gratia Christi, & sanioris morales defensores semper existerint, sitque hæc velut sacri Ordinis hæreditaria pars.

Id in Jesuitarum injuriam dictum putans P. Daniel calamum acuit. Novem alias Epistolas ad Patrem Alexandrum edidit intra menses aliquot; quibus Parallelum doctrinæ Prædicatorum, & Jesuitarum instruit circa Probabilitatem, & Gratiam. Quatuor probabilitatem spectant; quinque gratiam: illis laxioris morales defensionem instruit; istis gratiam præsertim victricem aggreditur. Neque vero id mirum est sunt enim hæc, ut eruditi probe norant, consinia, atque cognata veluti argumenta. Pelagianos Divinæ Gratiæ, & Moralis Evangelicæ hostes ex æquo fuisse, notum est, nec non peccati Philosophici, ac vagæ probabilitatis defensores acerrimos. Hinc nefarium illud Pelagianorum dogma in Synodo Palæstina damnatum refert S. Augustinus lib. De Gestis Pelagii, Cap. 18. *Oblivionem, & ignorantiam non subjacere peccato; quoniam non secundum voluntatem eveniunt, sed secundum necessitatem; quo stat peccati Philosophici nuperrime recusus error.* Hinc & Cœlestius, alter Pelagianæ sectæ Coryphæus, quæsitus a Carthaginensis Synodi Patribus, ut doctrinæ suæ Magistros proferret, Russinum illico protulit: tum secundo rogatus, ut si quos alios haberet suæ sententiæ Patronos, ac Duces, eos libere proderet, ad vagæ probabilitatis arcem confugit, quæ sententiam aliquam unius Doctoris præsidio tutam putat. *Non tibi, inquit, sufficit unus Sacerdos!* (2)

Quinque ergo de Divina Gratia vulgatis Epistolis, Scientiæ-Mediæ ruinosum systema sustentare nititur novus iste Societatis Athleta. Molinæ, & Suaresii commenta adstruit: Gratiam per se efficacem, a SS. Augustino, & Thoma, eorumque discipulis vindicatum, impugnat veluti libertatis inimicam: Decreta Dei prædeterminantia fugillat, quasi fatalem necessitatem imponentia, & quæ Deum auctorem peccati faciant: Quætionem de Prædestinatione gratuita ad gloriam, inter Theologos utriusque Ordinis controversam, quætionem esse de solo nomine, confidenter aserit: Definitionem Prædeterminationis a S. Augustino traditam adulterat: Doctrinam Thomisticam de gratia per se efficaci Novatoribus, & Jansenismo favere contendit: S. Augustinum Scientiæ-Mediæ approbasse; eamque cum dogmatibus Catholicis de gratia plane convenire: Molinæ propositiones a Congregatione de Auxiliis nunquam fuisse damnatas; ejusque doctrinam ab omni errore immunem esse: Acta Congregationis de Auxiliis nullius esse fidei; ex Innocentii X. Decreto: Cardinalem Perronium, his Controversiis ferventibus, scripsisse, Protestantæ doctrinæ de gratia per se efficaci, & prædeterminante non ægre subscriptos: Doctrinam S. Augustini in libro De Prædestinatione SS., & libro De Correctione, & Gratia, non esse intelligendam secundum vim, & rigorem terminorum: Licere Theologis systemata pro arbitrio fabricari in quætionibus de Prædestinatione, & Gratia: Molinianas assertiones Semipelagianis erroribus affines non esse: Ex gratiæ per se efficaci assertionem sequi, præcepta Dei hominibus, illa destitutis, esse impossibilia: aliaque id genus commenta venditat, quorum vanitatem, ineptiam, falsitatem tota hæc Auxiliorum Historia in aperto ponit.

His Danielis Epistolis respondit Theologus Anonymus, quem Alexandrum esse, persuasum habent viri

(1) Tertull. (2) S. Aug. lib. 2. de Pecc. Orig. c. 3.

viri omnes eruditi. Patribus Jesuitis inscriptæ sunt ejus Epistolæ sex, Tribus prioribus Parallelum, seu convenientiam doctrinæ Thomistarum cum doctrina Jesuitarum circa probabilitatem funditus evertit, atque refellit. In tertia etiam invicte probat, Gregorium de Valentia, qui Molinæ opiniones ardore maximo in Congregatione de Auxiliis defendebat, a Patre Thoma de Lemos Dominicano palam convictum coram Pontifice, & Cardinalibus, quod S. Augustini locum studiose interpolasset; ad pedes Pontificis, deliquo ex confusione publica, superboque dolore orto, cecidisse, probat invictissimis documentis. D. Francisci Pegnæ Commentarios de rebus in Congregatione gestis a calumnia vindicat, Tum ad Danielis Parallelum rediens, Scholæ Thomisticæ, & Alexandri doctrinam contra vagum Probabilitatis usum tuetur: Scholam Thomisticam Jesuitarum Societati circa probabilissimum, qui flagitiosarum omnium opinionum in Theologia Morali fons est, adversari, multis ostendit.

Tribus aliis Epistolis instituta circa Gratiæ comparationi respondet Auctor Anonymus: Conventientiam assertionum Molinæ cum Semipelagianorum erroribus palam demonstrat: Doctrinam Thomisticam de Gratia Novatoribus non favere, immo & ab Ecclesia probatam esse: Doctrinam communem Jesuitarum de Gratia novam esse, periculosa, a celeberrima Facultate Lovaniensi damnatam: Patris Danielis Litteras Ecclesiæ injurias esse, & conversioni Protestantium obicem ponere: Doctrinam Molinæ in Congregatione de Auxiliis damnatam; Thomisticam approbatam; Arminianos ex Calvinii grege cum Moliniani consentire: Alexandri Theologiam, doctrinamque de Gratia a calumnia vindicat: Quindecim Patris Danielis visiones, seu insomnia, atque commenta in hac controversia de regit, ac refellit; ejusque sophismatibus, & inanibus argutiolis invicte respondet, nihil aliud esse, ostendens, ejus contra Thomisticam de Gratia doctrinam argumenta, quam crambem recoctam Semipelagianorum.

Hæc dum mutua concertatione scriberentur, Theses publicas Jesuitæ Lugdunenses propugnarunt die 26. Augusti 1697. multis contra Gratiam, & Moralem Evangelicam erroribus scatentes; quas anonymus Theologus duabus, ad Doctorem Sorbonicum inscriptis, Epistolis consultavit, addito etiam libello, cui titulus erat: *Theses Theologicæ Jesuitarum Lugdunensium Censoriis Notis disjunctæ, atque confixæ.*

Verum cum Prophetam suum congressibus Achillis imparem experti essent Jesuitæ, causæque suæ meritis minus fiderent, a Rege Christianissimo impetrarunt, ut silentium utrique parti imperaret; eo consilio, ut victoriam simularent potius, quam receptui cernerent. Alexandrum, & Danielem vocavit Excellentissimus Gallie Cancellarius: Audientiam utrique singulatim concessit: Regis nomine silentium utriusque injunxit. Hinc factum est, ut decima Danielis Epistola, quæ post significationem Regiorum Mandatorum in lucem prodit, sine Responso dimissa sit a Thomistis, non sacces victori submittentibus, sed Regi, ut officium postular, obsequentibus. Nulla tamen ex indicto, servatoque silentio veritatis jactura secuta est. Ecquid enim novi tunc eruclavit Propheta bonus, cui reponere necesse fuerit? Prædeterminationis physicæ non favere Doctorem Anglicum, ea in Epistola commentus est. At cum id a sexcentis Dominicani Ordinis Theologis, ac nuper a R. P. Antonino Maffouliè, [1] confutatum sit; nulla Responsione ad crambem recoctam Danielis fuit opus.

Nonnullis mensibus interjectis, cum omnia ex Mandato Regio conspulta crederentur, Daniel, vir inquietus, & obsequi nescius, quam feceret in ea litteraria concertatione; famæ jacturam opportuna calliditate refarcire molitur est. Suas, & Alexandri Epistolas Lugduni novis typis edidit, multis pro arbitrio resectis; additis aliis, quibus imperitæ plebi fucum faceret. Præfationem etiam adjunxit, qua sibi victoriam accinebat festivus homo: adeo est visionibus, & insomnia assuetum Prophetarum genus! Fraudem detexit nescio quis Thomisticæ Scholæ amans, Alexandri famæ studiosus. Epistolarum congruem puram, & integram typis mandavit: præmissa præfatione, rerum gestarum seriem exposuit; vanamque Danielis gloriationem retudit, ac fregit.

Hunc exitum habuit Alexandri de Divina Gratia cum Daniele concertatio; quam novus iste Præfata susceperat, non tam ut Scholæ Thomisticæ doctrinam de Divinis Auxiliis vellicaret, quam ut suum, totiusque Societatis in Alexandri Theologiam Moralem præconceptum jam pridem odium palam effunderet. Vix enim prodierat eruditum Opus, cum statim vulgatus Rothomagi rumor fuit, a quibusdam Societatis Patribus disseminatus, Patrem Alexandrum fortunæ (ut loquebantur) suæ obicem posuisse; quod Societatis minorem, quam par erat, in Theologia Morali rationem habuisset. Cum etiam nonnulli Gallie Præfules, Alexandri Librorum singulares ælimatores, ejus pro Ecclesiæ utilitate suscepta Opera viro e Societate primæ notæ sub idem ferme tempus commendassent; respon-

(1) S. Thomas sui Interpres.

dit ille, in Alexandri Morali, nuper edita, multa esse, quæ illum erga Societatem minus bene affectum demonstrarent.

Id ut ex amicorum relatione didicit Vir eruditus, scire voluit, quid Societatis animos a se tantopere alienasset. Audientiam ab Jesuita meritissimo postulavit, & obtinuit die 17. Septembris 1695. ut amico, ac familiari colloquio animum mutuo aperirent. Nulla spe, nulla ambitione moveri se, atque impelli, præfatus est Alexander, ad fovendam, quæ ab annis viginti quinque sibi intercefferat cum ipsius Reverendissima Paternitate amicitiam: se personam ejus ob merita, & virtutes, non ob auctoritatem coluisse, ac etiam colere; sed grave sibi esse, quod aures faciliores nonnullis fufurris, & criminationibus contra doctrinam, operaque sua præbuisset. Respondit Reverendus Pater, se absque ulla æstimationis de illo conceptæ remissione nonnulla ipsi e vestigio ostensurum, quæ in ejus libris emendari operæ pretium esset; codiceque in manus accepto, multa adnotata significavit, quæ spongiam ejus judicio mererentur. Respondit ad singula Vir eruditus, quæ decebat, veneratione, ac reverentia. Colloquium integram horam tenuit, ut doctrinæ suæ rationem redderet. Tum demum Reverendum Patrem secundo rogavit, ne fidem æmulis suis adhiberet; & exsoluto urbanæ salutationis, & venerationis officio, vale dixit. Nihil tamen eo colloquio profecit Alexander, nisi ut fœtus inde temporibus intelligeret, quid æmulum invidiam tantopere concitasset; quidve illos in editis Operibus male habeat.

PARAGRAPHUS SEXTUS.

De Codicibus M.S.S., e quibus presens Historia petita est.

CUM veritatis, quæ prima historiæ pars est, nobis potissima cura fuerit, eos pro officii debito fontes attingimus, unde illam præsertim haurire liceat. Congregationum Acta, Suffragia Consultorum, Academicarum Censuras, Hispanæ Legationis Instrumenta, Virorum Illustrum, qui eo tempore Romæ degebant, Commentarios, aliosque bene multos Codices Manuscriptos excussimus, e quibus tota Historiæ hujus auctoritas pendet, ac fides. Non unus tamen, idemque apud nos instrumentorum usus. Quoties de iis sermo fuit, quæ in intimo Congregationum sacrario tractata sunt, tum ad controversarum questionum examen, tum ad earum fancita judicia; nihil nisi ex Secretariorum Actis, quorum stat suprema fides, petitum est. Ubi vero de iis sermo venit, quæ, femota judicii forma, instar amicæ compositionis coram Cardinalibus arbitris tractabantur; cum nulla de rebus, inibi tractatis, per Secretarios Acta sint edita, ipsorum Cardinalium fidem adhibuimus. In aliis demum, quæ politicam potius, quam dogmaticam historiæ partem attinent, litis scilicet urgendæ, tractandæ, sctendæ, procrastinandæ modos, artes omnes, circuitus, passionis, aliæque id genus politicæ scientiæ machinamenta; quorumcumque probatorum testium Commentarios usurpavimus.

Quocirca libros 2. 3. & 4. in duas veluti partes fecare necesse fuit: alteram, qua res in Congregationibus agitata, atque fancitas exsequeremur; alteram, qua litis urgendæ, ac tractandæ modos, variosque extra Congregationes eventus referremus; ne, si omnia recte ferie pro dierum ordine, in Diurni modum, lectorum oculis siterentur; sejunctæ ab invicem Congregationes, disjuncta judicia, ac peregrinis sæpius eventibus intermixta, dogmaticam Historiæ partem implicarent magis, novisque ambagibus involverent.

Instrumenta ex integro sæpius attulimus: unde effectum est, ut narratio quidem minus fluere; magis tamen sibi constaret. Cum enim hæc contentiosa Historia sit, & a nemine hæcenus in totum elaborata; nihil omnino missum fecimus, quod vel asserendæ veritati, vel secretioribus interno-scendis juvare posset; minusque lectorum oblectationi, quam eruditioni consulendum existimavimus. Instrumenta nihilominus prolixiora in Appendicem consulto misimus; ne lectorem diutius decinerent, & ab Historiæ contextu longius abducerent. Disputationes coram Summis Pontificibus, aliisque Judicibus habitas, ex Secretariorum quidem Commentariis summa, qua potuimus, fide retulimus; sed compendio tantum, relictisque infinitis propemodum argumentis, quibus interlocutores asserta sua muniebant, & castigata, quantum licuit, scholastici styli barbarie, dogmaticis Hispanorum disputationibus indivulsa; servato nihilominus ubique sensu, rationumque momentis ad certâ capita revocatis. Sic scriptorum missa moles ingens, quibus non tam lector erudiendus erat, quam tadio solvendus.

Catalogus Manuscriptorum, e quibus tota pene Historia petita est.

1. Acta coram Reverendissimo D. Octavio Episcopo Calatino Apostolica Sedis Nuntio ad partes inferioris Germaniæ super materia de Auxillis Divinæ Gratiæ, occasione Controversiæ ortæ inter Universitatem Lovaniensem, & quosdam Professores de Societate Jesu, Romam ab eodem Nuntio transmissa cum utriusque partis instrumentis.
2. Narrationes duæ F. Didaci Alvares de initio causæ Romæ agitæ 1598.
3. Narratio P. F. Dalmatii Amati Ord. Prædicatorum de initiis Controversiæ Divinorum Auxilliorum inter Patres Prædicatores, & Jesuitas excitatæ. (1)
4. Narratio institutæ disputationis inter Patres Societatis Jesu, & Provinciam Hispaniæ Ordinis Prædicatorum. (2)
5. Epistola P. F. Hieronymi Baptista de la Nuza, Provincialis Provinciæ Aragoniæ, Regi Catholico data die 22. Aprilis 1597, circa Patres Societatis Jesu. (3)
6. Epistola P. F. Hieronymi Baptista de la Nuza, Provincialis Provinciæ Aragoniæ, Generali fidei Quæstori data circa Patres Societatis Jesu. (4)
7. Libellus Memorialis Conventus Valentini Ordinis Prædicatorum, missus ad Reverendissimum P. Magistrum Ordinis, Hippolytum Mariam Beccariam de Monte Regali, circa Patres Societatis Jesu. (5)
8. Scripta, a Patribus Societatis data, dum juxta Pontificis Breve ab Inquisitore generali Hispaniæ jussi sunt, suam de Divinæ Gratiæ efficacia, & Molinæ causa sententiam aperire, anno 1594.
9. Censuræ Episcoporum, & Theologorum Hispaniæ, de Mandato Summi Pontificis datæ, ac Romanam missæ a D. Petro Portocarrero supremo fidei Quæsitore.
10. Apologia Provinciæ Hispaniæ, Ordinis FF. Prædicatorum contra doctrinam Ludovici Molinæ.
11. Responso Arrubalis ad Apologiam FF. Prædicatorum cum ejusdem Responsum Confutatione.
12. Scripta, a Censoribus deputatis data anno 1598. in primo examine, Romæ habito circa librum Molinæ, Apologiam Prædicatorum, & Censuras ex Hispania missas.
13. Censura in primo causæ examine instructa contra doctrinam Ludovici Molinæ, totius Congregationis nomine elaborata a Patre Gregorio Coronello, ejusdem Secretario, & a Censoribus subscripta die 12. Marti 1599.
14. Scripta Cardinalis Ludovici Madrutii, quibus suam de utriusque Scholæ doctrina sententiam dicit.
15. Acta in mutuo partium congressu, coram arbitris habito anno 1599, cum Scriptis omnibus hinc, inde datis, & collectis a Cardinali Ludovico Madrutio.
16. Scripta Patrum Prædicatorum, & Patrum Societatis, data anno 1601. ad novum examen instruendum.
17. Acta Congregationum anni 1601. pro recognitione Censuræ, latæ contra 20. propositiones Ludovici Molinæ.
18. Resolutiones, & Decisiones Congregationum anni 1601., a Gregorio Coronello Secretario collectæ, & a Censoribus subscriptæ.
19. Acta disputationum habitaram coram Clemente VIII. ab anno 1602. ad annum 1605., collecta a P. Coronello, primo Congregationis Secretario.
20. Resolutiones Congregationum, coram Clemente VIII. anno 1602. ad annum 1605., collecta a P. Coronello, primo Secretario Ordinis S. Augustini.
21. Acta disputationum sub Paulo V. a die 16. Maii 1603. usque ad 22. Februarii 1606., collecta a P. Greg. Coronello.

22. Re-

(1) Relación que el P. Fray Dalmacio Amat de la Orden de Predicadores dio acerca del principio que tuvo la causa de los Auxilios, entre los Padres de la Orden de Predicadores, y los de la Compañia.

(2) Relación de la Verdad, que ha avido en la comunicacion de disputas con los Padres de la Compañia, en la Provincia de España de la Orden de Predicadores.

(3) Carta, que el P. Fray Jeronimo Baptista de la Nuza, Provincial de la Provincia de Aragon de los Padres Predicadores dio al Rey Catolico, acerca de los Padres de la Compañia 22. Agosto 1597.

(4) Carta del P. F. Jeronimo Baptista de la Nuza, Provincial de la Provincia de Aragon de los Predicadores, al Inquisidor General acerca de los Padres de la Compañia.

(5) Memorial acerca de los Jesuitas, embiado por parte del Convento de Predicadores de Valencia al General de la Orden, el Maestro F. Hippolyto Maria Beccaria de Monte Regali.

22. Resolutiones Congregationum coram Paulo V. a die 21. Septemb. 1605. usque ad 1. Martii 1606.
23. Acta disputationum coram Clemente VIII., & Paulo V., a P. Thoma de Lemos elaborata, ab anno 1602. ad annum 1606.
24. Miscellanea P. Thomæ de Lemos, quibus multa hujus causæ documenta continentur, quatuor tomis comprehensa.
25. Diarium F. Jacobi le Boffu Ord. S. Benedicti, Doctoris Sorbonici, unius e Consultoribus Congregationum le Auxiliis, a nonnullis laudatum.
26. Eiusdem notæ, & Animadversiones in XXV. Molinæ Propositiones.
27. Diarium Illustrissimi D. Francisci Pegnæ, Rotæ Romanæ Decani, ab anno 1601, ad annum 1607.
28. Collectanea ejusdem Francisci Pegnæ, quatuor tomis comprehensa; quibus varia ad præsentem causam tum sua, tum Hispanicæ Legationis instrumenta continentur.
29. Acta Congregationum Consultorum anno 1606., & 1607. cum informatione Bullæ, sub Paulo V. adumbratæ, pro ultima causæ hujus definitione.
30. Acta pacti conventi inter Patres Prædicatores, & Patres Societatis coram Excellentissimo Duce de Lerma anno 1612.

Auxiliorum Historiæ, ad manuscriptorum Codicum fidem elaborandæ, rumor nescio quis pervaserat Belgium, vicinasque Provincias; terror illico, tanquam hostis haberet muros, Molinianas acies occupavit. Adeo scilicet nonnullos rerum istarum memoria male torquet! Calamum confestim acuit obfcuri nominis Scriptor: Epistolam, Leodii mensè Julio 1698. typis editam, confarcinavit; (1) non illam quidem brevem in verbis, & longam in sententiis, (quod de Catholicis Epistolis Hieronymus dixerat) sed sensu longe, quam verbis brevior; in qua nec micam falsi invenire liceat. Magno inanium cavillationum, nugarum, vitilitationum apparatu, manuscriptorum Codicum fidem minuere; Gregorium Coronellum, Franciscum Pegnæ, Thomam de Lemos deprædicare, carpere, dilacerare nititur vir nullius iudicii, atque criterii: cui illud Poetæ jure accomodes:

Et magna peragit sedulitate nihil.

Eandem, exacto biennio, rutudit incudem, post vulgatam scilicet Auxiliorum Historiam, ut tela sua, in prima Operis nostri Editione retusa, recuderet. Libellum in vulgus misit, gallice inscriptum: *Questions importantes, a l'occasion de la nouvelle Histoire de Auxiliis*; Hoc est: *Questions magni momenti, occasione recentis Auxiliorum Historiæ*: quem Socii Parisienses, & Belgæ tanquam sybillæ folium circumquaque disseminarunt, gemina editione maximam partem dono distributa, ne quem forte poeniteat, pecunias suas tam misere collocasse. Eundem, latine redditum, Germani vulgarunt sub titulo *Disquisitionum in novam Congregationum Historiam*: Quin & hunc ipsum Italicis auribus Florentiæ datum audio, & magna ostentatione disseminatam. Binis Quæstionibus stat tota libelli summa. Prima, eruditissimorum Præfulum, ac Theologorum, qui Censores in sacris illis Congressibus confederunt, iudicia deprimit cavillator; illosque præcipitis, inconstantis, occupati, & iniqui in Societatem animi (quæ vox malorum litigatorum est) passim inculcat; non paucas Academiarum Censuras, alias quidem fuciles, alias studiose interpolatas congerit, queis Molinismum, a Romanis iudicibus male multatum, erigat; momenta demum, quibus Societatis Actores publicam in illo orbis Conventu causam agebant, nova pompa exequitur. Altera, fidem Actorum, queis tota nititur Historia nostra, elevare satagit, recusis vulgatæ pridem Epistolæ obiectivculis; nostrisque Responsis, queis tenuem descriptionem priori Editione dispunximus, aut dissimulatis omnino, aut præpositere detortis, aut certe quam levissime vellicatis. Mox anno elapso, *Erratorum*, (2) ut vocare libuit, *Historiæ nostræ* Indiculum texuit, multa nobis affingens, quæ ne per somnium in mentem venerant; plura falsis interpretamentis adulterans; omnia pene sua, deque miscens, ut commentitios lapsus retegeret, refelleretque.

Nos, omni abjecta cunctatione, novos illos Moliniani Actoris impetus fregimus: Multeos libellos, e prælo sudantes, festinis justæ molis lucubrationibus confutavimus: nec diu quemquam eo in errore

ver-

(1) Lettre à M. l'Abbé *** sur la nouvelle Histoire de Auxiliis qu'il prepare. (2) Errata de l'Histoire des Congrégations de Auxiliis.

versari passus sumus, ut Historiæ nostræ responsum crederent, quod his ora minime compressisset. An hoc est respondere, quod est non tacere? aiebat alias Augustinus. Prioris lucubrationis nostræ titulus erat: *L'Histoire des Congrégations de Auxiliis justifiée contre l'Auteur des Questions importantes*; Alterius vero: *Le Correcteur corrigé, suite de la Justification de l'Histoire des Congrégations de Auxiliis, contre l'Auteur de l'Errata corrigé de cet Ouvrage*. Utri nostrum victoria cesserit, ab aliis dici malim, quam, si quid laudis in me est, intemperanter, & ambitiose jactare. At Judices opto præ iudiciis vacuos, non partis studio occupatos, aut (quod iniquius est) partem ipsam. Ecce enim ludum non dabit Sociorum Trivoltinorum (1) fiducia, qui, vulgatis in singulos menses *Documentis ad scientiarum, & bonarum Artium Historiam*, toti in suorum laudes effusi, immitem in lucubrationes nostras virgam exercent; ac de tota hac nostra litteraria concertatione, qua Scholæ domesticæ summa vertitur, dictatoria Auctoritate pronunciant?

Non est hic animus, Præfationem hanc nostram denuo refingere, ut quod memoratus Disquisitor secunda sua, uti vocat, *momentosa Quæstione* adversus Actorum fidem effudit, minutatim, atque ex ordine confutemus: quod in Gallica nostra Responione executi sumus. Sed Epistolæ Leodiensis, quam recudit, cavillationes repellendo, paucas illas in transcurso occupabimus, quas is secunda veluti manu superaddidit, ut priori scriptiuncula fidem adderet, nostraque Respona vellicaret. Cætera adversus Historiam ipsam priori Quæstione, suoque *Erratorum* indiculo congesta, alibi per partes, ac pro re nata confutabimus.

Itaque de Actis MSS. in universum duo expostulat in Epistola. Primum, magnam illorum partem Innocentii X. Decreto confixam, ait: Alterum, Acta hæc anno duntaxat hujus seculi quadragesimo laudari cœpisse, confidenter pronuntiat, & ex FF. Prædicatorum, Jansenianorumque officina primitus prodidisse: unde suppositionis suspitionem non levem oriri, colligit. Verum, ut primum expostulationis caput mittamus interim, speciali perinde Paragrapho pertractandum: quot hic verba, tot lapsus. Falsum quippe, Acta illa anno duntaxat hujus seculi 40. laudari cœpisse; laudaverant enim decennio prius Theologi Salmanticenses & Guillelmus Gibieuf; & hi quidem, ut notum est, (2) Ordinibus Prædicatorum nequaquam Professores, editis libris Orbi notissimis, ac Summo etiam Pontifici nuncupatis. Neque vero mirari sinit, ab nullo ante id temporis laudata fuisse: non ab Alvaresio, non a Gonzales, non a Nazario, Navaretto, Cabezudo, aliisque Thomistis, qui paulo post solutas Congregationes, suas de Divinis Auxiliis lucubrationes vulgarunt. Cum enim recentior esset Gestorum memoria, quam ut res sibi cœpisse prospere, Romanosque Judices Molinam absolvisse, fabulari Jesuitæ possent; nulla Thomistis necessitas adiebat, ut, productis instrumentis, veritatem in aperto ponerent: quod aliis demum præstare necesse fuit, dum, senescente paulatim Gestorum memoria, suas liberius Jesuitæ fabulas venditarunt. Acta tunc e tenebris eruere fuit opus, quibus ora fabulatoribus occluderentur. Priores etiam illos Scholæ Thomisticæ Theologos paulo lætius aiebat vulgata definitionis Apostolicæ data fides. Hinc Alvaresius illorum unus, in Prologo ad Lectorem Operis de Auxiliis Divinæ Gratiæ, quod anno tertio post solutas Congregationes publici juris fecit, *Nihilis*; inquit, *Doctoris sententiam aliqua censura notabo; non enim decet, determinationem S. Sedis Apostolicæ, que prope diem expectatur, privato iudicio prævenire*. At ubi continuis perendinationibus spes suas retardari, posteriores experti sunt; ne forte temporum spatiis, assertis sibi iuribus præscribi fernerent, nonnulla suis interdum lucubrationibus de adjudicata sibi lite memorarunt, quæ productis instrumentis confirmare necesse fuit. Quamquam autem a laudandis, excribendisque Congregationum istarum Actis sibi temperarint veteres illi Angelicæ Scholæ Proceres, nec domestica placita eorumdem auctoritate communiverint; illorum nihilominus mentionem ingessit obiter Alvaresius loco proxime appellando.

Falsum pariter, immo etiam infalsum, ex Prædicatorum, Jansenianorumque officina prodidisse primum; ex iis quippe Urbis scriiniis, ac Tabulariis prodire, in quibus Prædicatores nihil, Janseniani minus possunt. In iis visuntur etiamnum magna ex parte Autographa primigenia, varique transumpta ex forma juris recognita, quæ nostram in laudando fidem absolvant. An Prædicatorum, Jansenianorumve officina est *Arx S. Angeli*, in qua illorum servantur aliqua? An Prædicatorum, Jansenianorumve officina Augustiniensium Tabularium, ubi copia major exstat, quod ex illo Instituto esset Gregorius Coronellus Congregationum Secretarius? An Prædicatorum, Jansenianorumve Officiæ Bibliotheca Barberina, Alteriana, Chigiana, aliæque non paucæ, ubi partim Autographa, partim integræ fidei transumpta videre licet? Aut demum sub Prædicatorum, Jansenianorumque cura ser-

(1) De Trevoux. (2) Supra §. 3.